



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 130. Principum, aliorumque Illustrium obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

## §. CXXX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1640.*Principum, aliorumque Illustrium  
obitus.*

Hoc item anno Amurates IV. Turca-  
rum Imperator in medio victoria-  
rum cursu, ætatis flore, summoque  
crudelitatis furore Constantinopoli subita-  
nea morte interceptus est. Hic sub  
primis Regiminis sui auspiciis conti-  
nuos Janissarorum seditiones integro  
sanguinis diluvio restrinxerat, domitis-  
que Persis, ac trucidatis suorum quam-  
plurimis Christianum nomen exterminare  
paraverat: cum vero apud neo-ele-  
ctum Vizirium intemperantius veneri-  
tasset, seque vino & aqua viva ingurgi-  
tasset, ex crapula die octava Februarii  
periit. Successit eidem Frater suus  
Ibraimus annos natus duodetriginta,  
qui solus ex tribus Fratribus suis, quos  
Amurathes hoc adhuc anno, ut totam  
sarpem Ottomanicam excinderet, stran-  
gulari iussit, non quidem carcerem,  
truculentas tamen fratris sui manus e-  
valerat, eo quod illum mente captum,  
ac conjugii impotentem credidisset.  
Obiit eodem ferme tempore Schah-  
Sophi Persarum Rex duobus relictis  
Filiis, alio septenni, qui Patri successit,  
altero quadrimo. Mors ejus tam læta

Ee 3

Tur-



Sæc. XVII. Turcis, quam Persis luctuosa exstitit;  
 A. C. 1640. animi enim fortitudine, bellique experi-  
 entia parem Persæ cernere despera-  
 bant. Magis adhuc funestus fluxerat  
 Bavaris idem annus; postquam enim  
 die decima septima Aprilis annuente  
 summo Pontifice, & suffragantibus cun-  
 ctis Canonicis Albertus Sigismundus  
 Bavarix Dux ac Maximiliani Electoris  
 Nepos in Frisingensem Coadjutorem e-  
 lectus fuerat, in medio gestientis læti-  
 tix cursu mox successit ingens luctus  
 non modo ex periculoso Maximiliani  
 morbo, sed præcipue ex nimis præma-  
 turo funere Caroli item Bavarix Du-  
 cis, Alberti Fratris natu majoris, qui  
 die vigesima Maij Monachii vivere de-  
 siit. Erat is optimæ spei Princeps,  
 totque virtutibus insignis, ut dubium  
 relinqueret, an natalium splendorem  
 probitas, vel natales probitatem ma-  
 gis exornarint. Præterea die vigesima  
 prima Novembris anno ætatis suæ qua-  
 dragesimo quinto apud Regio-montem  
 in Borussia decessit Georgius Guiliel-  
 mus Elector Brandenburgicus, qui suc-  
 cessorem habuit Filium suum Frideri-  
 cum Guilielmum.